

ristia et sepultura ecclesiastica (c. 3. h. t. c. 2. eod. in 6.), et clericus eos sepeliens, ipso facto excommunicatur (Clem. 1. de sepultur.)—3.^a Fiunt irregulares propter infamiam (Canon. 2. d. 37.)—4.^a Fiunt intestabiles activè (c. 2. h. t.)—5.^a Confiscatur sors illorum, vel tota, vel pars pro qualitate delicti. His pœnis subjacent usurarii manifesti post sententiam declaratoriam criminis (c. 14. h. t.) Probantur autem usurarii manifesti vel ex evidentia facti, quia palàm fœnus improbus exercent; vel ex confessione propria in jure facta; vel per testes idoneos aut indicia violenta, et per libros rationum, quos edere tenentur (cap. 15. h. t. lib. 5. 6. de prob., Clem. un. §. ceterum h. t.)

TITULUS XX.

DE CRIMINE FALSI. *

130. Nota. Crimen falsi definiri: quòd sit fraudulenta veritatis imitatio seu immutatio in præjudicium alterius facta (Nov. 73. princ.) Ex qua definitione patet tria requiri ad hoc crimen: *fraudem* seu dolum, *fictionem* seu immutationem veritatis, et *nocumentum* alteri illatum, vel inferendum, etsi per accidens impediatur (lib. 1. 6. ff. de L. Cornelia de fals. lib. 8. 20. C. eod.) Licet autem lex Cornelia lata sit de solis testamentis falso conscriptis, suppressis, vel alio modo immutatis, tamen deinde extensa est ad omne genus falsitatis dolosæ, ut patet ex cit. tit. ff. et C. de L. Corn. de fals. Hoc crimen committitur vel circa personam, vel circa res, dicto, scripto, facto et usu.

131. Q. I. Quando committatur crimen falsi dicto?

R. Tunc, quando quis dolosè in præjudicium alterius falsum profert: quod maximè accidit in judicio, dum testis falsum deponit et verum occultat, dum advocatus dolo malo causam clientis sui prodit, dum judex dolosè sententiam injustam pronunciat (l. 1. 20. 27. ff. h. t.) Pœna falsi testis, uti et aliorum falsariorum est deportatio cum publicatione bonorum; vel si persona vilis sit, damnatio ad metallum. Pœna advocati falsi hodie est arbitraria, ut fustigatio, carcer, numellæ, relatio (art. 115. Carpz.) Pœna judicis falsi pro qualitate personæ et delicti est privatio officii, confiscatio, exilium, imò et pœna mortis; et de jure Can. judex per sordes judicans, suspenditur à divinis (c. 1. de sent. et re jud. in 6.)

a—Agitur de hac materia in Extrav. Joan. XXII. et com. h. t.—In Decreto Can. 3. d. 19. et cap. 80. quisquis. 11. quæst. 3.—In Instit. §. 7. de publ. jud.—In Pandectis lib. 48. tit. 10.—In Codice l. 9. tit. 22. 23. 24. 25. Nov. 73.

132. Q. II. Quando committatur crimen falsi scripto?

R. 1.^o Tunc, dum litteræ, seu quodcumque instrumentum dolosè falsatur in nocumentum tertii; ut si falsitas committatur in testamento, instrumento publico, et litteris alicujus momenti: ut si mendici fingant sibi casus fortuitos incendii, morbi etc. (lib. 1. et seq. ff. de L. Corn. de fals.) Pœna hujus falsitatis est deportatio cum confiscatione bonorum; vel arbitraria ex Constit. Car. art. 112: mitiùs tamen punitur, qui privatas litteras alicujus aperuit, nisi eas adversario ostendisset: secùs si aperuit litteras magistratus, prælati aut principis.

2.^o Falsarii litterarum apostolicarum sunt illi, qui litteras papales falsas conficiunt, vel falsis sigillis utuntur, vel in litteris apostolicis gratiæ, sive justitiæ, radendo, addendo, abluendo vel alio modo aliquid immutant, vel litteras ipsas ex alterius, quàm Papæ, vel officialium deputatorum manibus recipiunt (c. 4. 5. h. t.) Pœnæ hujus sunt seqq.:—I. Falsarii litterarum apostolicarum, qui per se vel alios vitium falsitatis exercent, ipso facto excommunicantur.—II. Clerici omnibus officiis et beneficiis privantur: et si per se falsitatem exercuerint, degradati curiæ seculari traduntur: laici verò juxta leges puniendi sunt.—III. Qui litteris falsis apostolicis utuntur, si clerici fuerint, officiis et beneficiis spoliandi sunt: laici verò tamdiu debent excommunicati manere, donec satisfaciant competenter: ità cap. 7. hoc tit., cujus dispositio, utpotè pœnalis, non est extendenda ad clericos falsificantes litteras Imperatoris, S. Pœnitentiariæ, SS. Congregationum, Legati è latere, proprii Episcopi etc. Sufficit autem ad incurrendas istas pœnas etiam unicus actus falsitatis, quia *exercere* in materia pœnali verificatur in uno actu (§. 4. In. de publ. judic.)

133. Q. III. Quando committatur crimen falsi facto?

R. In seqq. casibus:—1.^o In partus suppositione, ad cujus accusationem admittuntur soli parentes, et quorum interest (lib. 30. §. 1. ff. de L. Corn. de fals.) et supponens præter reparationem damnorum, subjacent pœnæ capitali (lib. 1. C. eod.): quæ tamen non videtur esse mors naturalis, sed civilis per deportationem, cui hodie successit fustigatio; Carpz. Zoes.—2.^o Qui eandem rem pluribus vendit (lib. 21. ff. eod.): si verò falso donet, vel pluribus oppignoret, tenetur crimine stellionatus.—3.^o Qui mercibus adulterinam materiam admiscet, pondera et mensuras immutat: hi præter ordinariam pœnam deportationis, condemnantur in duplum (lib. 32. ff. eod.)—4.^o Falsarii monetæ, qui propria auctoritate monetam cudunt, etiam justis ponderis et materiæ, qui tondendo, radendo et alio modo pondus monetæ publicæ diminuunt, qui adulterinam monetam cudunt, v. g. ex cupro, stamno; et hi, præcedente strangulatione, igne puniuntur ex Const. Constantini, l. 2. C. de falsa monet.: tondentes, vel veram monetam cudentes hodie substant pœnæ arbitrariæ.—5.^o In Extrav. un. h. t. int. com., prohibetur moneta ex auro alchymistico; quia sophisticum et deceptorium est. Qui tale aurum, secuto effectu, faciunt, vel facientibus ministrant, vel eo utuntur in commerciis, in pœnam tantum pondus veri auri dare

debent; vel corporaliter puniuntur, et infames fiunt: clerici verò præter has pœnas, privandi sunt beneficiis habitis, et inhabiles ad alia obtinenda futuri.

134. Q. IV. *Quando crimen falsi committatur usu, seu potius abusu?*

R. 1.^o Qui nomen, cognomen, patriam, parentes dolosè in nocumentum tertii falsificat.—2.^o Qui illicitis, seu alienæ familiæ insignibus utitur, fingendo se nobilem, doctorem etc.—3.^o Qui proposita Edicta dolosè corrumpit, vel falsas leges allegat etc. (*l. 13. 27. §. fin. l. 32. et in. ff. de L. Corn. de fals.*) Plures particulares casus reperies in Pandectis et Codice, *l. cit.*

135. Q. V. *Quid statuatur in Scto. Liboniano?*

R. Hoc Scto. pœna L. Corneliæ de falsis extenditur ad eos, qui vocati ad scribenda aliena testamenta, vel codicillos, sibi aliquid in eis adscribunt per modum hæreditatis aut legati (*l. 15. C. de L. Corn. de fals. l. 3. C. de his, qui sibi adscrib. in testam.*) Præter hanc pœnam scribens, fit incapax accipiendi id, quod scriptum est, idque ob præsumptionem falsitatis: unde si aliquid scribenti relinquere vult testator, id alia manu scribendum est.

TITULUS XXI.

DE SORTILEGIIS. ^a

136. *Nota I.* Sortilegium, falsò affine, latè accipi pro superstitione, quæ est vitium oppositum religioni secundum excessum, quatenus exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet (S. D. 2. 2. q. 92. a. 1.) Hujus quatuor sunt species:—1.^o *Idololatria*, quæ cultum divinum exhibet creaturæ.—2.^o *Superstitio indebiti modi colendi Deum*; dum quis cultu falso, superfluo et vano à Deo non revelato, neque ab Ecclesia instituto, colit verum Deum: ut si Christianus oblat Deum ritibus Judaicis vel Gentiliis; vel si velit missam dici à sacerdote, qui vocatur Joannes etc.—3.^o *Vana observantia*, dum quis per media inutilia, et à Deo vel Ecclesia minimè ordinata conatur procurare aliquem effectum externum, sive id fiat cum expresso pacto dæmonis, sive cum tacito.—4.^o *Divinatio*, quæ est cognatio futurorum et occultorum ex pacto cum dæmone *explicito*, si homo habeat expressam voluntatem aliquid rescindi à dæmone: vel *implicito*, si homo pro cognitione occultorum signum aliquod vanum adhibeat et inspi-

^a—Agitur de hac materia in Decreto, 26. q. 1. usque ad 6, in D. Thom. 2. 2. q. 92. usque ad 98.—In Codice lib. 9. tit. 18.

ciat: differt à priori, quia vana observantia tendit ad procurandum effectum externum, ut sanitatem, bellum, promotionem ad officia etc.: divinatio verò præcisè tendit ad cognoscendum futura et occulta (S. D. 2. 2. q. 92. a. 2. et *Can. 1. igitur 26. q. 3.*)

Nota II. Divinationis seu necromantiæ, ut fit ex pacto explicito cum dæmone, novem esse species: quarum 1.^a est *prestigia*, dum dæmon variis apparitionibus illudit, et docet superstitiosos.—2.^a *Divinatio per somnia*, dum per somnia cognitio quæritur à dæmone.—3.^a *Necromantia* specificè, dum ad certas preces videntur mortui resurgere, loqui et docere.—4.^a *Divinatio per pythones*, dum dæmon per homines arreptitios.—5.^a *Geomantia*, dum per signa et corpora terrestria.—6.^a *Hydromantia*, dum per signa aquæa seu in aquis apparentia.—7.^a *Aeromantia*, dum per signa in aere apparentia.—8.^a *Pyromantia*, dum per signa in igne apparentia.—9.^a *Aruspicium*, dum per signa in extis animalium sibi immolatorum dæmon futura et occulta docet.

Nota III. Divinationis, ut fit ex pacto implicito, duas esse species: *Prima* quærit cognitionem ex consideratione depositionis vel motus alterius rei: ut *Genethlia*, ex siderum motu et situ; *Augurium*, ex animalium vocibus aut hominum sternutatione; *Auspicium*, ex volatu avium et motu animalium; *Omen*, ex hominum vocibus præter intentionem prolatis; *Onirocritica*, ex somniis; *Physiognomia*, ex totius humani corporis signis; *Spatulamantia*, ex spatulæ signis; *Metoposcopia*, ex fronte; *Chiromantia*, ex manibus et variis lineis inspectis. Qui ergò ex talibus signis futura et occulta prædicat, divinus et augur est. *Altera* quærit cognitionem et dispositionem eorum, quæ nos consultò facimus propter aliquod occultum cognoscendum, vel per *Geomantiam* seu protractionem punctorum; vel per *sortes*, dum occulta inquirimus ex signis resultantibus, v. g. ex schedulis in urnam projectis; ex jactu alearum; ex plumbo liquefacto in aquam projecto; ex eo, quod fortuitò nobis occurrit in libro aperto; S. D. 2. 2. q. 95. a. 1. et *seqq.*, ubi dignus est lectu.

Nota IV. Has superstitionis species esse omnes illicitas, ad quas etiam reducitur *Astrologia judiciaria*, quæ ex siderum inspectione prædicat eventus fortuitos à libero arbitrio dependentes: uti et *Magia superstitiosa*, quæ dæmonis ope mira facit, vel ad proprium commodum aut ostentationem, vel ad proximi nocumentum: quo sensu dicitur *Maleficium* vel *Veneficium*. Econtrà sub genere superstitionis non continetur:—1.^o *Magia naturalis*, quæ per causas naturales, absque dæmonis ope mira operatur.—2.^o *Astrologia naturalis*, quæ ex siderum motu et concursu effectus naturales prædicat, ut eclipses, pluvias, grandines, ventos, morbos, fertilitatem anni etc.—3.^o *Physiognomia* et *Chiromantia naturalis*, quæ ex inspectione corporis et lineamentorum arguit ad complexionem, sanitatem, ingenium etc.—4.^o *Observantia naturalis* ex volatu et clamore avium et aliorum animalium, quæ naturaliter solent indicare quosdam eventus naturales, ut pluvias, serenitatem, frigus etc.; quia reverà horum signa sunt

(S. T. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 7.) Denique à superstitione procul abest notitia prophetica, etiam ex somnio à Deo immisso hausta (*ibid.* *art.* 6.) Plura de his vide in *cit.* S. D. et TT. Mo. Laym. *lib.* 4. *tr.* 10.

137. Q. I. *An sortilegium sit licitum?*

Nota ante resp. ex S. D. *l. c. a. 8.* tres esse sortium species: *Divinatorias*, quæ adhibentur ad occulta vel futura contingentia cognoscenda. *Consultorias*, quæ adhibentur, ut Deus occultam veritatem manifestet, vel anceps consilium dirigat: et *divisorias*, quæ adhibentur ad jus in divisum, aut dubium pluribus competens inter eos dividendum, vel uni applicandum.

R. 1.º Sortes *divinatoriæ* sunt graviter illicitæ, non tantùm quando fiunt per expressam invocationem dæmonis, sed etiam per verba, scripturam, aut alia signa nullam connexionem cum re occulta et eventu futuro habentia (*cit.* *art.* 8. et *Can.* 3. et *seqq.* 26. *q.* 5. et *cap.* 1. *hoc tit.*); nam in sortibus istis saltèm tacitè dæmon colitur, tanquam Deus et revelator occultorum.

2.º Sortes *consultoriæ* regulariter sunt illicitæ (*Can.* 7. *sortes.* 26. *quæst.* 5.): nam per illas Deus tentatur, et sortilegi exponunt se periculo, ne Deo permittente, à diabolo decipiantur. Si tamen fiant ex levitate, curiositate et vanitate, absque ullo commercio cum dæmone, et sine fide, quasi veritas per Deum hoc modo manifestaretur, saltèm sunt peccata venialia; quatenùs sortilegi, sine ulla urgenti causa Dei providentiam his sortibus alligare velint.—Excipe, nisi sortes istæ ex speciali instinctu divino adhibeantur, qualiter detectum est furtum Achani (*Jos.* 7. *v.* 14), Mathias per sortes electus est Apostolus etc.

3.º Sortes *divisorie* regulariter sunt licitæ, quia mutuo consensu partium, vel mandato judicis fiunt per modum transactionis et compositionis: uti inter hæredes, socios, commilitones: item si agatur de una re individua, de promotione ad officia secularia, de periculosa statione in bello, de puniendis pluribus reis, quorum omnes puniri nequeunt: et generaliter, dum nulla apparet ratio, cur in aliquo commodo vel incommodo alter alteri sit præferendus; res ista sortibus definiri potest, dummodò eventus non expectetur à dæmone, sed via ordinaria à Deo, ut litibus finis imponatur. Dixi *regulariter*, nam:

4.º Electio ad prælaturas et beneficia Ecclesiastica per sortes *divisorias* aut *consultorias*, est graviter prohibita: et quidem jure naturali, si sortibus committantur digni et indigni, cum id vergat in damnum Ecclesiæ ob indignum pastorem: jure verò Ecclesiastico, si sortibus committantur æque digni, etiam in casu, quo duo paria vota haberent, et neutra pars eligentium vellet cedere; *c. fin. h. t. c.* 42. *de elect.*, ubi tales electiones ipso jure nullæ pronunciantur; nam electio personarum Ecclesiasticarum non debet sortibus seu cæca fortuna fieri, sed ex delectu et juxta majorem capacitatem ac dignitatem. Electio compromissariorum per sortes facta reprehenditur quidem *cit. c. fin.*, non tamen irritatur. At lites alias beneficiales et Eccle-

siasticas, ex mutuo partium consensu, et accedente auctoritate superioris, nihil prohibet per sortes terminari.

138. Q. II. *Cujus fori sint sortilegia et magiæ superstiosæ, et quæ pœna his constituta?*

R. 1.º Sunt mixti fori; nam ratione peccati etiam Ecclesiasticus procedere potest, ut patet ex Constitut. Sixti V. *Cæli et terræ*.

2.º Sortilegi de jure civ. puniuntur publicatione honorum et aliquando pœna ignis (*l. 3. 5. C. de maleficiis*): hodie pœna est arbitraria. Magi verò plectuntur gladio; vel igne comburuntur, si magiam exerceant cum nocumento tertii; vel pro qualitate delicti relegantur; Carpzov.—II. De jure Can. clerici sortilegi, seclusa hæresi, verbaliter degradantur, seu deponuntur ab officio et beneficio, et ad monasterium vel carcerem detruduntur (*Can.* 4. et *seqq.* 26. *q.* 5., *Can.* 15. *admoneant* 26. *q.* 7. *c.* 1. 2. *h. t.*) Laici viles verberantur: honestiores incarcerantur aut relegantur (*Can.* 10. *contra* 26. *q.* 1.); imò excommunicari possunt (*cit. c.* 15.), vel stigmate notati è diœcesi expelli (*Can.* 12. *Episcopi* 26. *q.* 5.) Magi verò, et libros magicos edentes aut legentes, notantur infamia, excommunicantur, et pro qualitate delicti arbitrariè puniuntur. Vide Const. Innoc. VIII *Summis*, Leonis X *Honestatis*, Greg. XV *Omnipotens*, Sixti V *Cæli et terræ*.

* Vide etiam Decretum Cong. universs. Inquisit. à me relatam tit. 38. de pœnit. et remiss. post num. 220 contra sacerdotes abutentes missæ sacrificio ad sortilegia. "

TITULUS XXII.

DE COLLUSIONE DETEGENDA.

139. Hic revoca dictum *tit. de calumniatoribus*, etc.; nam collusio idem est, quod prævaricatio seu occulta dolosa conventio inter actorem et reum, ut reus absolvatur.

140. Q. *Quid juris circa collusionem?*

R. 1.º Si actor et reus colluserunt circa beneficium Ecclesiasticum, ita ut actor in gratiam rei pateretur sibi litem fieri circa illud, uterque illo privandus est (*c. 3. h. t.*), ne patronis et collatoribus jus conferendi lædatur.

2.º Si accusator in criminalibus collusit reo accusato, uterque fit infamis (*l. 4. ff. de prævar.*) Accusator extraordinariè punitur, vel pœna talionis: reus verò absolutus, iterùm accusari aut inquiri potest (*arg. c. fin. h. t. l. 3. §. 1. ff. de prævaric.*), quia sententia ex collusionem lata est invalida (*l. 3. ff. de collus. deteg.*)

3.^o In civili causa non datur propriè collusio seu prævaricatio; quia actor et reus in civilibus transigere inter se possunt. At procuratores in civilibus judiciis colludere possunt, uti et advocatus, licèt hic falsarius potiùs, quam collusor dicendus sit, ut dixi *tit. 20. num. 132.*

TITULUS XXIII.

DE DELICTIS PUERORUM.

141. Nomine puerorum venit hic uterque sexus annos pubertatis necdum ingressus. Quamvis verò in ordine ad matrimonia ineunda, ubi potentia generandi attenditur, mas præsumatur pubes an. 14. completo, et fæmina viripotens an. 12 (*c. 3. et 14. de despons. impub.*), tamen in ordine ad delicta et pœnas nulla videtur esse distinctio ætatis inter mare[m] et fæminam, ut innuit Const. Carolina; quia iudicium et capacitas doli ac providentiæ non advenit citiùs in fæmina, quàm mare; et ideo neque puella fit citiùs majorennis. An verò pubertas anno 14, an. 17, vel 18 adveniat pro iudicio criminali, mathematicè definiri nequit; sed totum hoc pendet à circumstantiis, et cons. iudicis arbitrio relinquitur.

142. Q. I. *An, et quibus pœnis substant infantés, pueri et minorennés delinquentés?*

R. 1.^o Infantés nec civili, nec criminali pœnæ substant (*l. 12. ff. ad L. Corn. de sicar. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.*); nam infantés septimum annum non egressi, propter defectum iudicii non præsumuntur doli capaces; ergò nec pœnæ. Infantibus comparantur amentés, furiosi et similes usu rationis destituti. Quod verò in uno vel altero malitiá ætatem prævertat, id tanquam rarum non est trahendum in consequentiam.

2.^o Pueri ob delicta omissionis rarò ad pœnam tenentur (*l. 2. C. si advers. delict.*), quia imprudentia potiùs, quàm malitiá actum debitum omisisse præsumuntur, nisi probetur dolum in omissione intervenisse (*l. 14. ff. de Scto. Syllan.*) Magistri tamen et parentes pueros, qui officia sua non implent, missas diebus festivis et Dominicis non audiunt et alia necessaria exercitia omittunt, moderatè castigare debent, ne peccare assuescant.

3.^o Pueri ob delicta commisionis, v. g. ob furta, homicidia et similia, puniri possunt et debent, sed pœna mitiori, attentá, non tam ætate, quàm qualitate doli et malitiæ. Ità *c. 1. h. t. l. 14. ff. de Scto. Syllaniano.* Nam pueri, quatenùs sunt capaces doli, substant pœnæ: quatenùs verò patiuntur defectum iudicii, merentur remissionem majoris

pœnæ, ex *reg. 108. ff. ferè in omnibus pœnalibus judiciis, et ætati et imprudentiæ succurritur*; ergò.

Dices: Pupilli sine auctoritate tutoris obligari non possunt; *pr. Inst. de auct. tit. et l. 22. pr. ff. de L. Corn. de fals. l. 1. v. impuberes C. de fals. monet. et c. 2. h. t. in pueris relinqui solet innultum, quod in aliis severiùs corrigendum.*

R.. *D. A.* Obligari ex contractibus, *C. A. Ex delictis N. A.* Ceteræ leges procedunt in delictis omissionis: et *c. 2. h. t.* loquitur comparativè, quòd pueri tam severè non puniantur, ac alii.

4.^o Minorennés 25 annos non egressi ob delicta commisionis puniri possunt pœna ordinaria (*l. 9. §. 2. l. 37. §. 1. ff. de Minor.*): regulariter tamen ob fragilitatem ætatis non solent ordinaria pœna puniri, nisi gravissima delicta concurrant, ut hæresis, simonia, veneficium, læsæ majestatis, repetitio delicti etc., modò delinquens sit major 14 annis. Imò pueri, si malitiá supplet ætatem, tenentur de adulterio, aliisque delictis carnalibus (*l. 36. 38. §. 4. ff. de L. Jul. de adult. et lib. 37. §. 1. ff. de Minor.*)

143. Q. II. *An pater teneatur ex delicto filii quoad pœnam pecuniariam?*

R. Negativè, si delicti particeps non fuit (*tit. C. ne filius pro patre*); nam nemo *alieni criminis successor constituitur* (*l. 26. ff. de pœnis*), et peccata suos tenent auctores (*l. 22. C. de pœn.*); ergò. Unde pater non tenetur solvere ex peculio profectitio (*l. 58. ff. de R. J.*); neque ex bonis adventitiis, ne usufructu privetur; neque ex legitima, quia hanc ante mortem suam dare non tenetur. Idem dic de prælato, qui ex delicto monachi non tenetur, ne delictum personæ noceat monasterio.

Dices: I. Pater ex *L. XII. Tabb.* non secùs ac dominus, iudicio noxali conveniri potest ex delicto filii.—II. Pater saltèm ex peculio filii solvere tenetur; *l. 1. C. ne filius pro patre*, ibi: *Neque amplius, quam de peculio actionem sustinere cogitur.*—III. Frustra aliàs filius ex delicto conveniretur.

R. *Ad I.* Cessante potestate vitæ et necis in filium, cessat istud iudicium noxale (*§. fin. In. de noxalib. actionib.*)—*Ad II.* Ex contractu filiifam. pecunia peculiarissolvenda est, non verò ex delicto.—*Ad III.* *N. S.* Quia si filius ex peculio castrensi satisfacere nequit, alia pœna puniri potest.

Hactenùs examinata fuerunt delicta fidei, religioni, justitiæ et charitati proximi adversantia: nunc à *tit. 24 usque ad 33*, examinabuntur illa delicta, quæ potissimùm à clericis committuntur. Sit

TITULUS XXIV.

DE CLERICO VENATORE. ^a

144. *Nota* hic non agi de venatione *oppressiva* hominum, sicut Nemroth fuit robustus venator (*Gen.* 10), hoc est, oppressor hominum (*Can. fin. in fin. Scholii d. 6.*); neque de venatione *arenaria*, seu pugnatione cum bestiis; sed de venatione *occupativa* feræ liberæ, quæ ad ferarum, volucrum et piscium capturam ordinatur. Estque duplex: *clamorosa*, quæ fit cum magno tumultu armorum, retium, canum et aliorum requisitorum; *quieta*, quæ fit sine magno strepitu, v. g. ad lepores, aves et ejusmodi feras capiendas. Venatio ista sylvatica, licet per se sit licita, per accidens tamen fit illicita: ut damnum fiat proximo, si missa die festo omittatur, et si ob graves causas aliquibus personis prohibeatur.

145. Q. I. *Quæ venatio sit clericis prohibita?*

R. Clamorosa seu tumultuosa (*c. 1. et fin. h. t.*); nam talis venatio non convenit modestiæ clericali, neque lenitati propter imminentem calidi sanguinis effusionem: et potissimum, quia vehementer distrahit et avocat animos ab orationibus et officiis clericalibus. At modesta et quieta venatio, si fiat necessitatis aut honestæ recreationis causa, et rarius citra turbationem officiorum spiritualium, permissa est clericis, ut probat consuetudo, optima legum interpret. Quamvis autem nomine clericorum in materia odiosa non veniant Episcopi et monachi, hic tamen in hac materia accommoda veniunt, ut patet ex *c. 1. et fin. h. t.*: imò quia Episcopi et monachi gravius obligantur vacare exercitiis spiritualibus, gravius peccant venando; nisi in sylvis suis per alios venentur, sicut *c. 21. de censib.*, ubi fit mentio de spallis seu armis Episcopo ab Abbate offerendis.—Nec obstat *Can. 33. v. taxantur de consecr. d. 5.*; nam piscatio moderata non tantum distrahit, quantum venatio: et piscatores Sanctos in Evangelio legimus, non verò vel unum venatorem (*S. Hier. Can. 11. d. 86.*)

146. Q. II. *Quæ sint pœnæ clericorum venatorum?*

R. Ex *c. 1. h. t.* Episcopus jubetur tribus mensibus à communione arceri: presbiter duobus: diaconus verò suspendi ab officio, putà ad arbitrium Episcopi; cæteri verò beneficiati arbitrariè puniendi

^a—Agitur de hac materia in Decreto *Can. 8. et seqq. d. 86.* et *Can. 1. d. 34.*—et *Trid. Sess. 24. c. 1. 12. V. vestitu, circa fin. de refor.*

sunt: quas tamen pœnas regulariter monitio præcedere debet. Et quambis Wagnereck et alii dicant in multis locis pœnas istas contraria consuetudine abrogatas esse, si tamen venatio impedit debita exercitia clericalia, præsertim Episcopalia et monachalia, jus naturale cui consuetudo non prævalet, obligat ad omittendas istas venationes, præsertim si scandalo sint conjunctæ. Vide notata in Sumariis post C. primum h. t.

TITULUS XXV.

DE CLERICO PERCUSSORE. ^a

147. Q. *Quis dicatur clericus percussor, et quæ pœna illius?*

R. 1.^o Clericus, præsertim in sacris constitutus, tunc dicitur percussor, dum laicos etiam delinquentes, sive fideles, sive infideles, propriis manibus percutit, quod est contra modestiam et mansuetudinem clericalem (*Can. 1. et seqq. d. 45.*) Pœna illius est correctio arbitraria: et si se non emendaverit, sed consuetudinarius sit in percutiendo, jubetur deponi (*c. 2. h. t.*): imò etiam ob unam percussorem gravem et lethalem deponi potest (*c. 2. eod.*)

2.^o Prælatus Episcopo inferior clericos sibi subditos disciplina causa potest propria manu percutere, non verò Episcopus (*Can. 25. d. 86.*), sed is verberationem istam demandare debet alteri clerico, et ex hodierna consuetudine etiam laico; quia executio hujus verberationis non satis decet clericos: ità tamen ut castigatio sit moderata; alioquin mandans et mandatarius incurreret excommunicationem Canonis, *si quis suadente.*

3.^o Clerici magistri, si verba non proficiunt, possunt discipulis suis clericis etiam moderata verbera infligere (*Can. 19. de pœn. d. 1. c. 10. 54. de sent. excom.*); nam talis potestas censetur esse quasi necessaria ad docendum et corrigendum, ne magister clericos docens sit in periculo excommunicationis. Similiter senioribus sacerdotibus permittitur, ut pueros minoristas inquietos et divina officia turbantes leviter percutere possint (*c. 16. et 54. de sent. excom.*) De clerico in bello percutiente dixi *tit. de homic. num. 90.*

^a—Agitur de hac materia in Decreto *dist. 43. per tot. et c. 23. d. 86.*